



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

12. Clariora exempla eorum, qui ob leues culpas traditi sunt diabolo
cruciandi.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45686

nem infamaret, vel ut, minoris culpæ tam graui poenæ, alios à maioribus quoq; peccatis abstereret.

XII.

S. Greg. lib. 1.
dial. c. 4.

Si enim in virgine inuenit, ob quod in eam immigrare potuit immundus Spiritus, quot causas habebit in Helena aliqua, aut Thaide? Atque ut, quæ leuiores videntur, sufficere intelligas ad hospitij illius apparatus, Romæ, quadam die Dei famula ex monasterio virginum hortum ingressa est, qua lactucam conspiciens concupiuit, eamq; signo crucis benedicere oblita, auide momordit: sed arrepta à diabolo protinus cecidit. Cumq; vexaretur, Patri Equitio sub celeritate nunciatum est, ut veniret concitus, & orando succurreret. Moxq; hortum idem pater ut ingressus est, cepit ex eius ore quasi satisfaciens ipse qui hanc arripuerat diabolus clamare, dicens: Ego quid feci? ego quid feci? Sedebam ibi super lactucam, venit illa, & momordit me. Cui cum graui indignatione vir Dei precepit ut discederet, & locum in omnipotentis Dei famula non haberet. Qui protinus abscessit, nec eam ultra contingere prauoluit. Itaque non cogitatio tantum impura, locum dat diabolo, sed etiam leuis indulgentia gula, aut crucis faciendæ neglectus; & ut Petrus Thyraeus (qui in hoc argumento est valde locuples, magnamque disputandi materiam suppeditauit) docet, certum est, veniales culpas demonibus homines ingrediendi occasionem prauis. Confirmat hanc doctrinam Cassianus hoc exemplo. Cum esset Moyses singularis, & incomparabilis vir, ob reprehensionem vnius sermonis, quem contra Abbatem Macharium disputans paulo durius protulit, quadam scilicet opinione prauentus, tam diro confestim est traditus spiritui, ut humanas egestines ori suo ab eo suppletus ingereret. Quod flagellum purgationis gloria se Dominus intulisse (ne scilicet in eo vel momentanei delicti macula resideret) velocitate curationis eius atq; aucto remedio demonstrauit. Nam continuo Abbate Machario in oratione submisso, dicto citius nequam spiritus ab eo fugatus abscessit. En quid vnum impatiens verbum; quid leuis gula, quid fortè incauta cogitatio puellæ superioris in diuino conspectu poenæ meruerit? Quibus poenis digni erunt in omne scelus fatuati?

Pet. Thyraeus
p. 2. de dz-
moniacis
c. 30.
Cassian. col-
lat. 3. c. 17.

XIII.

Quid alij merebuntur, qui se in illicitas voluptates totos immergunt? qui vino & ingluuie ventris non rationis tan-

tium,